



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. X. Concilium Alexandrinum de Spiritu Sancto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

stimentis cunctorum Crucis apparuit signum. Quo attoniti miraculo, plurimi Christo crediderunt. Hic etiam *Iulianus* ad cumulum nequitiae contra Deum, insigne Christi simulachrum, quod apud Cæsaream mulier à sanguinis liberata profluvio collocaverat, satis impudenter deponit, suamque eodem loco collocat Imaginem, quæ igne de cœlo cadente postmodum fulminata est. Caput cum cervice una parte in terram est dejectum, reliqua pars hætenus ad iudicium fulminis reservatur. Tunc vero Pagani imaginem Christi confregerunt, quam postmodum Christiani recolligentes, recondiderunt in ecclesia. *Ex Concilio apud Alexandriam.*

## C A P. X.

*Concilium Alexandrinum de Spiritu Sancto.*

Interea congregatis apud Alexandriam paucis numero Confessoribus, licet fidei merito multis, ad sedandas hæreticorum procellas, tractatur, quibusdam eorum ad rigorem ecclesiæ dicentibus, non debere eos recipi in sacerdotium, qui se utcumque contagione hæretica maculaverant: aliis vero ad compassionem promulgantibus, non debere negari aditum, ab inveterato errore perfidiæ redeuntibus. Ad dicitur quoque in illo Concilii decreto plenior de Spiritu Sancto disputatio, ut ejusdem substantiæ ac Deitatis, cujus pater & filius, crederetur, nec quicquam prorsus in Trinitate aut creatum, aut inferius poste-

N

riusve

riusve diceretur. Sed de differentia substantiarum & subsistentiarum sermo eis per Scripturas motus est, quas Græci *Usias* & *hypostaseis* vocant. Quidam dicebant, substantiam & subsistentiam unum videri, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia quam subsistentia videbatur, dicebant, quod *substantia* ipsam rei alicujus naturam rationemque, qua constet, designet: *subsistentia* autem, uniuscujusque personæ, hoc ipsum quod extat & subsistit, ostendat.

## C A P. XI.

*Hæresis Sabellii.*

Ideoque propter Sabellii hæresin, confundentis personas, & dicentis, *quia idem Deus, quando vult, Pater est, quando vult, Spiritus sanctus*, tres subsistentias esse confitendas, quod quasi tres subsistentes personas signare viderentur; ne suspicionem daremus, tanquam illius fidei sectatores, qui Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus ac subsistentiis confitentur. Sed & de incarnatione Domini comprehensum est, quia corpus quod susceperat Dominus, neque sine sensu, neque sine anima suscepisset. Quibus caute moderateque compositis, soluto concilio, *Eusebius* vir illustris, potens in verbo doctrinæ, *Orientem* circumcivit atque *Italiam*, & illius circumferens decreta, singulas quasque ecclesias ad sanitatem rectæ fidei revocat,